



DE VERITATE ET
ANTIQUITATE AR-
TIS CHEMICÆ,

CAPVT PRIMVM.

ESDRAS Propheta, Lib. 4. cap. 8.

DICAM autem coram te similitudinem, Esdra.
Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi:
quoniam dabit terram multam, magis & unde fiat
fictile. Paruum autē puluerem, & unde aurum fiat.

SALOMON, Eccles. cap. 38.

Altissimus creauit de terra Medicinam, & Vir prudens non
abhorrebit illam.

Vide An-
nal. pag.
136.

DAVID, Psal. 12.

Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examina-
tum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Alij ita vertunt.

Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examina-
tum, probatum ter, repurgatum septuplum.

Vel,

Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examina-
tum in vase terreo, purgatum septies.

Vel,

Verba Dei, Verba pura, argentum in aludele exustum in
terram, seu puluerem, refusum septies.

Hoc enim vocabulum Aludel Arabice, *sublimatorium*
Latinis est, quo Arabs ille Geber Abenhaen, vel Ebenhaen
inter Arabes chemicos philosophos præcipuus, Auicenna,
Rhazes, Hali, Morienus, & alij plerique Latini frequenter
vtuntur. Est autem Aludel, siue Sublimatorium, vas in quo
fit sublimatio chemica: Quæ est rei siccæ per ignem eleuatio
cum adhærentia sui vasis. Rei (inquam) siccæ, id est, inferio-
rum elementorum, seu materiæ. Per ignem, scilicet lenem,
æqualem, humidum, continentem, excitantem, digerentem,
& propinquum natura. Eleuatio, id est, conuersio, siue nobi-

Geber. II.
2. c. 43.

A

lita-